



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

393. Ut nullus ministrorum alterius parrœchiæ Clericum latenter ad
ordinationem subintroducatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14622

tas hunc honorem capiat, non provehantur. Et probari Deo posse creditur qui domino suo necdum probare se potuit. *Et post pauca.* Debet esse immunis ab aliis qui divinæ militiæ fuerit aggregandus; ut castris dominicis, quibus nomen ejus adscribitur, nullis necessitatum vinculis abstrahatur.

De eadem re. *Ex Concilio Mogontiensi cap. xxvi.*

Concil. Aurelian. 1. c. 8.

Concil. Vvormac. c. 40.

Vide Concil. Mogunt. sub Kar. M. c. 23.

CCCXCII. Si servus absente aut nesciente domino, Episcopo autem sciente, Diaconus aut Presbyter fuerit ordinatus, ipse in clericatus officio permaneat, Episcopus autem eum duplici satisfactione domino persolvat. Si verò Episcopus servum eum esse nescierit, qui testimonium de illo perhibent, aut eum postulant ordinari, simili recompensatione teneantur obnoxij.

Mutila est prima pars istius capituli, adeoque nullum sensum habet. Sic itaque supplendus est hiatus ex editionibus Concilij Aurelianensis: Si servus, absente aut nesciente domino, & Episcopo sciente quòd servus sit, aut Diaconus &c. De servorum porro ordinatione vide infra cap. 396. hujus libri.

Ut nullus ministrorum alterius parrechie Clericum latenter ad ordinationem subintroducatur. *Ex epistola Innocentij Papa.*

Decreta Innoc. 1. c. 14.

CCCXCIII. Ut de aliena Ecclesia Clericum ordinare nullus Episcopus usurpet, nisi alterius Episcopi precibus exoratus fecerit, vel

ipse Episcopus exoratus concedere voluerit. Hoc etiam synodus Nicæna statuit, ut abjectum ab altero Clericum altera Ecclesia non recipiat.

Item de servis ordinandis. *Ex Concilio Toletano.*

CCCXCIV. Quicumque libertatem à dominis suis ita percipiunt ut nullum sibi in eis obsequium patronus retinet, isti, si sine crimine sunt, ad clericatus ordinem liberè suscipiantur, quia directa manumissione absoluti noscuntur. Qui verò retento obsequio manumissi sunt, pro eo quòd à patronis adhuc servitute tenentur obnoxij, nullatenus sunt ad ecclesiasticum ordinem promovendi; ne, quando voluerint eorum domini, fiant ex Clericis servi.

Concil. Tolera.
4. c. 73.
Burchard. lib.
2. c. 25.

Item ex Capitularibus, tit LXXXIV.

CCCXCV. Si laici Clericos probabilitate & doctrinæ Episcopis consecrandos suisque in Ecclesiis constituendos obtulerint, nulla qualibet occasione eos reiciant.

Concil. Paris.
lib. 1. c. 22. &
lib. 5. Capitular.
c. 178.

De servorum ordinatione. *Ex eodem,*
cap. LXXXII.

CCCXCVI. De servorum ordinatione, qui passim ad gradus ecclesiasticos indiscretè promoventur, placuit omnibus cum sacris canonibus concordare debere; & statutum est ut nullus Episcoporum deinceps eos ad sacros ordines promovere præsumat, nisi prius à dominis propriis libertatem consecuti fuerint. Et

Capitular.
Aquilgranense
Ludovici
Pij c. 6.
Lib. 1. Capitular.
c. 88.
Burchard. lib.
2. c. 31.
Ivo par. 5.
c. 132.